THESIS QUAM

PRO

CATHEDRA PATHOLOGIÆ

REGIÆ UNIVERSITATIS STUDIORUM NEAPOLITANÆ

JOANNES TERRONE CANDIDATUS

EXTEMPLO AC INTER DECEM HORAS OCTAVO KALENDAS JULII DECLARAVIT.

NEAPOLI,
EX TYPOGRAPHIA G. MIGLIACCIO
1844.

Haec scriptura sine librorum adiumento ac calamo festinante et trepidante extemplo exarata et typis data, stricte congruit cum autographo in Regia Studiorum Universitate asservato erratis haud correctis.

Exemplaria sigillo Regiae Universitatis non munita ac a candidatis non inscripta, tunquam adulterata habentur.

DE VENENIS IN GENERE, EORUMQUE DIFFERENTIIS AB AGENDI MODIS DESUMPTIS.

Quum de venenis in genere, eorumque differentiis ab agendi modis desumptis, disserere deberem, haud exordia exarare, verum tantummodo methodum patefacere, qua notiones ad hanc thesin spectantes exponere debeam, operae pretium arbitratus sum. Hinc a veneni definitione exordiar, et deinde quod ad venena in genere spectat, breviter declarabo; postremo de venenorum differentiis ab agendi modis desumptis verba faciam.

Definitio veneni.

Venena sunt aliquae substantiae vel a regno minerali, vel vegetabili, vel animali depromptae, simplices vel compositae, quae etiam minimis quantitatibus ingestae, vel aliter corpore ingressae, aut mortem, aut periculum vitae afferunt.

Natura venenorum.

Nemo profecto est qui ignorat originem et naturam venenorum esse variam: alia enim sunt corrosiva, quia vel oxydis metallicis, vel acidis acribus, vel salibus corrosivis constant: alia adstringentia, alia narcotica propter peculiaria principia vel alcaloides, quae in eis continentur: alia composita sunt principiis specificis vel ignotis vel parum notis.

Sunt qui venena sponte oriri posse arbitrantur. Si chimicas compositiones spontaneas nobisque ignotas supponunt, unde venenorum evolutio? Nostris temporibus non immerito haec opinio refutatur, quia huius rei demonstratio fieri haudquaquam potest. Confiteri nimirum debemus, quod humores acres et corrupti, uti bilis et alii aliquando corpus irritant ac perturbant; sed symptomata non confundenda sunt cum iis quae ad veneficium pertinent.

His positis venena sunt stimuli textis organicis haud affines, qui interdum irritant, interdum inflammant, interdum vim nervorum imminuunt vel avertunt; interdum humorum fusionem inducunt, adeo ut serius ocius vitam extinguunt.

Venenorum symptomata.

Cum aliquod venenum corpus ingressum sit, nonnulla symptomàta patefacit, eaque varia esse omnes noscunt, secundum veneni speciem, aliasque circumstantias, de quibus verba faciamus.

In primis dolores ventriculi ac intestinorum, anxietates, vomitus, dejectiones ventris, quibus materiae mucosae, serosae ac sanguineae egeruntur, spirandi difficultas, vox imminuta, tremores apparent. His accedunt convulsiones, totius corporis debilitas, extrema frigida ac livida, maculae nigrae in facie, nec non in aliis corporis partibus, vultus nigrescens, ac pallore suffultus, vel hippocraticus, pulsus parvi, contracti, cutis frigidis sudoribus suffusa; et ita veneno affectus vel convulsionibus vel gangraena correptus spiritum emittit.

Symptomata veneficii per summa capita recensita, varia esse solent, secundum veneni speciem, nec non alias circumstantias, quae veneficium comitantur. Quamobrem si venena corro-

siva fuissent, ventriculi inflammatio, dolores, vomitus sanguinis apparent; si venena narcotica corpus inficiant, dolores capitis, coma, lethargus manifestantur; et sic de singulis.

Item venenorum effectus sunt plus minusve celeres secundum quantitatem substantiae veneficae, organicam constitutionem corporis, nec non dispositionem ejusdem. Prae caeteris quidem habitudo perpendenda est circa actionem venenorum.

Procul dubio est, quod aucta veneni copia brevi tempore animal e medio tollit; quippe vel inflammationem intensiorem inducit, cui gangraena et mors superveniunt, vel principium vitae *innervatione* positum omnino extinguit.

Qui debili constitutione organica ac temperie nervosa praediti sunt, a venenis statim perturbantur, iique symptomata veneficii graviora offerunt. E contra homines fortiores ac temperie sanguinea gaudentes, veneni actionem facilius ferunt, ac prae caeteris liberantur.

Secundum corporis dispositionem et conditionem, cognitum est, quod homines abstinentia ciborum vel fame enervati, vel a morbis diu vexati, nec non qui animi pathematibus obnoxii fuerunt, ob nimiam corporis sensibilitatem praesertim a veneficio corripiuntur.

Habitudo prae caeteris inspicienda est in venenorum effectibus. Omnes enim veneficiorum hi-

storiis edocti sciunt, quod assueti parcissimo substantiarum veneficarum usui, non periclitantur ex copiosioribus venenis ingestis. Physiologia hanc veritatem nos docet, exemplaque nobis enarrat, quae nota et trita sunt.

De venenorum actione in genere.

Quod ad venenorum actionem spectat, sciendum sane est varias esse opiniones auctorum. Nonnulli venena noxia credunt tantummodo propter actionem irritantem super organa, ac ob inflammationem supervenientem. Haec opinio jure sustineri nequit; nam plures substantiae veneficae homines aliaque animalia enecant, eorumque cadavera sectionibus inspecta, inflammationis signa haud offerunt. Praesertim aliqua venena vegetabilia, uti acidum hydrocyanicum, digitalis purpurea, et juxta Rognettae experimenta contra clari Orfilae opinionem, arsenicalia veneficium, mortemque inducunt absque inflammatione.

Inter neotericos quidam actionem chymicam venenis tantummodo tribuunt. Eorum opinio est, quod omnia venena agunt in sanguinem, qui corruptus vel inquinatus proprietatum alterationem subit, unde ejusdem fluidi defectus veneficii caussa evadat.

Haud negari potest actio quorundam vene-

norum in sanguine, sed sciendum quoque est. quaedam venena agere super texta corporis specifico et peculiari modo; idest agunt in cerebrum, in nervos, in viscera; hoc in casu actio potest esse *mechanica*, *mechanico - chimica*, *dinamica*. Confitemur item sanguinem esse emporium caussarum tam morborum, quam substantiarum veneficarum, a quo in toto corpore diffunduntur, et praesertim specifica et peculiari actione super texta quibus corpus constat.

Inter recentiores auctores clarissimus Jacobus Andreas Giacominius in Patavina Universitate clinices professor, nec non Rognetta calaber Parisiis morans et alii arbitrantur duplicem actionem distingui deberi in venenis, nempe *mechanicam* vel *mechanico - chymicam*, *et dinamicam*. Prior inducit inflammationem et gangraenam; secunda vero est universalis, oriturque ex diffusione substantiae veneficae per totum corpus circulationis adminiculo. Praeterea Giacominius censet omnia medicamenta et venena assimilari textis organicis, unde eorum actio.

Quoad praedictam opinionem en animadversiones nostrae. Venena vel ingesta vel aliis viis corpore ingressa interdum actionem mechanicam manifestant, interdum nullam laesionem localem inducunt. Ex hoc secundo casu deduci potest, quod quaedam venena, uti acidum hydrocianicum,

arsenicum, aliqua similia parvis dosibus propinata, actione universali dinamica interdum veneficium efficiunt nervos praesertim laedentia. Quare sectiones cadavericae laesiones minime patefaciunt, etsi veneno animal mortuum sit.

Sectiones mortuorum in genere ex venenis varias offerunt laesiones. Ventriculus et intestina rubris nigrisque maculis plena; materiae putrescentes plus minusve copiosae observantur; sanguis colliquatus, tenuis, parte serosa abundans, musculi rigidi interdum, et interdum molliores.

Veneficii curationi praesto esse debemus. Si venenum recenter ingestum sit, illico emetica administranda; optima est aqua tepens, pulvis ipecacuanhae. Ubi inflammationis signa orta fuerint, sanguinis missio, mucilagines, uti gummi arabicum, olea, albumina, balneum, et alia hujusmodi conveniunt.

Curatio in genere fiat secundum speciem veneni. Quo pacto tonicis fit si venena deprimentia fuerint. Prae caeteris deveniendum ad alexipharmacorum usum.

De differentiis venenorum.

Venena in varias sectiones distributa sunt ab auctoribus. Hinc nobis differentiae notandae secundum agendi modos.

Aliqui venena diviserunt in *incitantia*, *deprimentia*, *irritantia*, prout incitamentum toto corpori afferunt, vel debilitatem universalem, vel irritationem et phlogosim, vel corrosionem in partibus praesertim internis.

Alii venena diviserunt in *mechanica*, *mechanico-chimica*, et *dinamica*; sed nos Orfilae classes sequimur.

1. *Venena caustica vel corrosiva.*

Oxydum potassii, cantharides, arsenicalia, sublimatum corrosivum. Venena hujusmodi ingesta irritant, inflammationemque ventriculo intestinisque inducunt, quibus communiter gangraena sequitur; uti ex sectionibus cadavericis innotescit. Quare statim occurrere oportet ad praecavendos veneficii effectus emeticis, aliisque medicamentis et alexipharmacis.

2. *Venena adstringentia.*

Clarus auctor hoc nomine praesertim venena saturnina designat, quae corpore ingressa corrugant intestina, actionemque peculiarem supra nervos vitae organicae et medullam spinalem faciunt. Ex his cholica saturnina, pareses, paralyses, convulsionesque oriuntur.

3. *Venena acria.*

Venena acria illa sunt quae alcaloides vel principia irritantia varia continent, uti *scilla*, *digitalis purpurea*, *ranunculus sceleratus*, *r. acris*, *rhus radicans*, *r. toxicodendron*, aliquae fungorum species. Haec venena ingesta irritant, ardoremque ventriculo, intestinis, nec non renibus afferunt; quibus organis inflammationem interdum inducunt et interdum debilitatem universalem.

4. *Venena narcotica.*

Ea dicuntur quae actionem peculiarem ad cerebrum dirigunt. Principia narcotica sive stupefacientia sanguinis affluxum sive congestionem praedicto organo inducunt. Opium ejusque composita, nicotiana, atropa mandragora, belladona, hyosciamus, aconitum ad hanc sectionem pertinent. Symptomata quae a veneficio narcoticorum oriuntur, sunt rubor faciei, coma, lethargus, somnus praeter naturam. Ea venena apoplexiam facillime inducunt. Quare in cadaverum sectionibus, cerebri venae sanguine turgentes observantur, effusionesque serosae in cerebro. Occurrendum sanguinis missionibus, antiphlogisticis, et praesertim affusionibus aquae et aceti.

5. *Venena narcotico-acria.*

Haec venenorum sectio complectitur eas species quae actionem praecipuam supra medullam spinalem patefaciunt; inducuntque irritationem, inflammationem, dolores, convulsiones, tetanum. Hujusmodi sunt *strychnos nux vomica*, *Ignatia amara*, *Upas tieute*, *u. anthiar*; in iis *strychnina et brucina* continentur, quibus debetur actio venefica substantiarum earundem.

6. *Venena septica.*

Haec sectio complectitur eas veneni species, quae actionem specificam et praecipuam in sanguine patefaciunt, uti humores venefici animalium, venenum viperinum, nec non licosae tarantulae, quae in Apulia morbum couvulsivum inducit. Hæc venenorum species sanguinem corrumpunt, adeo ut marcor universalis, debilitas totius corporis, nec non haemorrhagiae spontaneae manifestantur. His positis occurrendum est remediis tonicis, acidis, antiscorbuticis, aliisque similibus.

Joannes Terrone